QUÆSTIO MEDICA
QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS
MANE DISCUTIENDA
IN SCHOLIS MEDICORUM,
Die Jovis 9. Februarij.
M. PETRO OZON
DOCTORE MEDICO, PRÆSIDE.

An proceritas corporis brevitate præstantior?

I.

CADUCA rerum omnium natura, concordi quatuor primorum corporum discordiâ, interjecto etiam, quas ex se mittunt virium fœdere, mirâ stabilitur arte. Surgit inde mixtorum tam diversa agendi ratio, quin etiam motûs & incrementi capiendi potestas; quâ quidem varietate singulorum in seinvicem factâ mutatione continuâ, vertitur sublunarium decus & ornamentum; ex eorum mixtione & concursu perstat mundi collectio: ad quam multa quæ extra conflatum corpus frontibus adversis repugnabant, conjurant amicissimè; pauca si abscesserint, tota corruit mixti compages? Quidni licet ex eâdem Peripateticorum quadrigâ, duo vitæ & conformationis principia eruere, semen & sanguinem maternum, ex quibus uberiore spiritu, & palmario calore locupletatis, fœtus nascitur amplior, beatiorem vitæ cursum completurus; ad elegantem hanc celsitatem promoveri singulis hæret naturale desiderium, ad eam pervenire omnibus non datur. Mineralia in imis terræ visceribus ablegata saltem impropriè crescunt, idque cæco quodam impetu, donec liquor ulterioris congelationis impotens, alios petat recessus, atque calor sub duro metalli cortice hebes factus, & motûs expers eo velut compede detineatur. Hæc autem pro aptè variato substratæ materiæ apparatu, sibi adhærent, & in limum mollemque massam primùm coëunt, quæ præviâ multiplici mutatione, in succos tandem concretos abeat, terras, lapides, aut metalla parituros, vel si ad superficiem terræ pertingant, stirpibus alimentum, & crescendi potentiam suppeditaturos.

862

II.

ΠΑΝΤΟΚΡΑΤΩΡ cœlo ſubjecta quævis calor agitat; cujus nutu creſcunt mineralia, vegetant plantæ, moventur & ſentiunt animalia; hic ſparſa colligit, confuſa certo diſponit ordine, totumque per orbem diffuſus illam compellit molem. In mineralibus obſcurior, lucidior in vegetantibus, in animantibus nobilior; ejus cum animâ vegetante communicatio, non malè ſtatuitur generatio, ut ejuſdem in humido permanſio vita. Terra plantarum ſemina, arborumque radices, vel prægrandium, ſinu ſuo fovet & complectitur; cujus, dum pubeſcunt, ſuperficies ſic laxatur, ut ſtirpes, vel in celſum aërem ſubvehat, folia, flores, fructus, cum ſe dabit tempus, edituras: quæ quidem eidem calori debentur, ex quo tanquam ex fonte derivata ſunt; non ſecùs ac illi ipſi vegetantium officia quæque ferenda ſunt accepta; inde ſucci radicibus appenſi ſuctio, hujus ad longinquiores ramos appulſus, facturus germina, gratam viriditatem, proceritatem, ſpectandamque ad extremum uſque ſenium faciei permutationem; hinc certè calore ſolis accedente vigent omnia, nam afflante dulci veris tepore, prata rident, plantæ & arbores ſuavem ſpirant odorem, campi metendis fructibus feraces luxuriant; cum frigoris inclementiâ cuncta langueant; calore telluris ſpecu obſignato hebeſcunt, & fronde, fructu, flore nudata velut emortua rigent; ita quidem ex variâ tempeſtatum mutatione diverſi caloris gradus, ex quorum modo & diverſa ſaporum genera, genitalem ſuccum, & accretionem intelligimus: ſic primam fructuum eruptionem ob frigus terrenæ ſiccitati conjunctum, acerbitas arguit, aciditas vernum teporem, & jucunda ſuavitas æſtivum calorem, velut ſui parentem agnoſcit.

III.

ANIMALIA plantarum ferè modo in lucem prodeunt, nutriuntur, & augeſcunt. Hæ ſucco ad intimos lares tranſvecto aluntur, ſemina, fructus, & folia poſtmodum daturo; illa è ſemine primùm pertexta, mox è ſanguinis circumfluentis mole, quod ſibi magis accommodatum trahunt, eodem triplicis ſubſtantiæ perpetuò decedentis effluvium inſtauratura; ut humoris cum igne ad nutritionem conveniens eſſe debet exacta permixtio, ſic ejuſdem exundantis lenta ſequacitas, calidique innati non levis ἐνεργεία requiritur. Nimius humor vim caloris obtundit, parcior vel non ſatis ὑπεκκαύματος ſuppeditat, vel citò abſumitur, fæcis ſorde inquinatus obſcurat, purus colluſtrat, aqueus extinguit, pinguis & aëreus pulchrè fovet, tuetur ac ſuſtinet; hinc animalium ea quæ dulcibus & humidis veſcuntur alimentis, paluſtres humidaſque plagas incolunt, cæteris antecellunt magnitudine, quæ degunt in arentibus locis, cibo utuntur ſicco & adurente, humiliora perſtant; plantæ & arbores aquarum, rivorumque humore copioſo circumſeptæ ſublimiores aſſurgunt, in arenâ malignè proveniunt; in mari majores belluas, quàm in terris cernere eſt; non quilibet ſed firmus, tenax & viſcidus humor ſuppetit ad magnitudinem corporum promovendam, illorumque vitam diù ſine declivio prorogat: argumento ſint ilex, cupreſſus, & palma, tenuis & multus eluens potiùs quàm vel au-

gens & nutriens, ut in ceraso & malo persicâ, corpora celeri ornat incremento, sed brevi dissolvendo, dum calorem hebetat, potiùs quàm fovet, ejusque alacritatem, dejicit magis quàm facit, unde quæ citam habent ad incrementum facilitatem, promptam nacta sunt ad interitum.

IV.

VITA præter truncum inertem tenaci aqueo humore continuum, concinnam nativi caloris cum humore primigenio perfusionem expostulat, quæ actus animæ bellè dicitur, cum anima sit actus primus corporis physici potentiâ viventis; subjecto, cui vita insidet animam inesse res aperta. Triplex viventium genus, totidem animarum declarat; ex vegetante ad sentientem; ex hac ad rationalem fit progressio. Postrema hæc aliis præpollet, earumque virtutes absolutè complectitur, ut una unius humani corporis ὠνλεμεχίαν, triplici Facultatum satellitio regat & sustineat. Vegetanti Facultatum magis communi, non digniori; tres aliæ principes famulantur, procreatrix, altrix & auctrix. Prima quæ commutatio est ad formam, materiem prolificam in sinu materno exceptam præparat, coquit, & tandem à partu otiosa feriatur; Parentis utriusque semen efficiens principium agnoscit; quod si fuerit uberius calore spirituque multo perfusum, eique si excipiendo satis ampla uteri accedat capacitas, proles nascatur amplior necesse est, quæ non modo laudabili similium partium temperie, sed & organicarum structurâ edendis functionibus accommodatiori prædita sit, altrix perpetua viventis comes, motio tantum est ad materiam, corporum præmaturum marcorem cohibens; auctrix motus est ad magnitudinem; illam animantia quævis, ut summum vitæ bonum appetunt, quo acquisito quiescunt, ad eam confert maximè semen, non à solis testibus sed à corpore deciduum, quod extendit ad opus quodlibet sequax in quantum potest, cessatque solùm non ampliùs ductili materiâ: Solus partes solidas in trinam dimensionem evehit, nam quæ crescunt additione, rarefactione, repletione, non censentur adaugeri.

V.

ACCRETIO est extensio materiæ in omnes simul dimensiones à calido humido, cujus aliquandò præfixos à naturâ limites properat sistere, vel prava victûs ratio, vel soli aut etiam conformatricis vitio contracta siccitas. A diversâ caloris cum humoribus temperie varius est augescendi modus. Hic summè potens animæ nauclerus omnia peragit in corpore; quibus fas est ad altiores staturæ metas currere, plurimus blandusque affulget, alimenta perbellè coquit faciliùs assimilari & excrementa propelli sinit, qui dulcis & halituosus mirè luxuriat in infantibus, acris scintillat in juvenibus, in senescentibus mole exiguus, viribus torpens marcescit & extinguitur, in vivente præ aliis facilè princeps eminet, nam temperiem in corpore æquâ lance libratam frustrà quis requirat. Non flammeus neque ustulanti prunæ similis fit, primam cœlo refert acceptam originem, non aliâ tamen quàm elementari sorte gaudet, ei comes assistit spiritus, uterque levis cum sit subjecto tenaci coërcendæ fugacitatis, atque etiam

præpingui ſuſtinendæ voracitatis causâ, tam arctè connexus inſidet, ut re ipsâ unum ſit ex tribus concretum, τὸ ὑγρὸν ἀρχήγονον dictum, quod ſemel attritum rigare fas erit; fruſtra ſarcire tentabitur. Hoc certè undique circumfluunt proceritate corporis geſtientes, in quibus pro majori corporis mole, virium moles longè ſit luculentior, & formæ præſtantia major; inde humiliores ut ſemiviros & præcoces naturæ partus deſpiciunt, utque diuturniori perennant vitâ, ſic fœliciori beantur: viſcera habent ampliora, calidiora, humidiora, necnon humoribus excrementitiis congerendis minùs obnoxia, liberiorem ſpirituum undequaque commeatum, fuliginum exitum faciliorem, aëris acceſſionem, & celeriorem & uberiorem, quam vero mirmidonum pumilam gentem brevius miſeriuſque fatum graviori pulſat pede, & multis plerumque conficit incommodis; in quibus calor immitis humidi benignitate deſtitutus, nec amplum divagari, nec ſat difflari conſuetus, humores corpuſque urit acriter. Optas prolem eximiâ ſummâque dotum ſuppellectile inſtructam, formosâ & eleganti ſtaturâ decoratum juvenem effinge, uxorem ſi libuerit ejuſdem proceritatis ſelige. Si facias, tibi erunt immenſo corpore nati.

Ergo proceritas corporis brevitate præſtantior.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Guido Creſcentius Fagon, ordinarius Familiæ Reginæ Medicus.	*M. Nicolaus Robin.*	*M. Ioannes-Baptiſta Moreau, Facultatis Decanus, & Profeſſor Regius.*
M. Iacobus de Bourges.	*M. Franciſcus Sorand.*	*M. EVSEBIVS RENAVDOT, primarius Sereniſſimi Delphini Medic.*
M. Petrus Leger.	*M. Iacobus le Meneſtrel, Chirurgiæ Profeſſor.*	*M. Iſaac Renaudot.*

Proponebat Lutetiæ RENATUS LE CONTE, Andinus. A. R. S. H. MDCLXXIII.

PARISIIS,
Ex Typographiâ FRANCISCI MUGUET, Regis & Illuſtriſſimi Archiepiſcopi Typographi, viâ Citharæ.